



Dissertatio medica inauguralis continens nonnulla de cura februm intermittentium

<https://hdl.handle.net/1874/300271>

86

IVZ

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

IVZ

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

CONTINENS

NONNULLA DE CURA

FEBRIUM INTERMITTENTIUM.

THE UNIVERSITY OF MICHIGAN LIBRARY

UNIVERSITY OF MICHIGAN

LIBRARY

ANN ARBOR, MICHIGAN

1900

UNIVERSITY OF MICHIGAN

LIBRARY

ANN ARBOR, MICHIGAN

LIBRARY

UNIVERSITY OF MICHIGAN

LIBRARY

ANN ARBOR, MICHIGAN

LIBRARY

UNIVERSITY OF MICHIGAN

LIBRARY

UNIVERSITY OF MICHIGAN

1

4

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,
CONTINENS
NONNULLA DE CURA
FEBRIUM INTERMITTENTIUM,
QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,
BERNARDI TER HAAR,
THEOL. DOCT. ET PROF. ORD.,
NEC NON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU
ET
NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,
Pro Gradu Doctoratus,
SUMMISQUE IN
MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT
EVERARDUS HONKOOP,
E PAGO WORMERVEER.
AD DIEM II MENSIS JULII ANNI MDCCCLIX, HORA VII DIMIDIATA.

TRAJECTI AD RHENUM.
P. W. VAN DE WEIJER TYPIS MANDAVIT.
MDCCCLIX.

UNIVERSITY OF CHICAGO

PHYSICS

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS DEPARTMENT

PARENTIBUS CARISSIMIS.

TRATTATO

DE' MONTI DI S. GIULIANO

di Giovanni Battista Belzoni
Scrittore di Storia Naturale
e di Geografia
e di Topografia
e di Antichità
e di Lettere
e di Scienze
e di Arti
e di Maniere
e di Costumi
e di Religione
e di Morale
e di Politica
e di Commercio
e di Industria
e di Agricoltura
e di Commercio
e di Industria
e di Agricoltura

PRAEFATIO.

Quum ad hoc usque tempus nondum de optima sulphatis chinini in febre intermittente exhibendi ratione constet, suadente aestumatissimo meo promotore, in variis methodis explorandis toto animo versatus sum, ut specimine academico summam experimentorum traderem. Observationes meae numero pauciores sunt, quam ut certam conclusionem admittant. Nihilominus eas commemoravi, postquam primum ad quaestionem, an febris intermittens statim sit tollenda, responsum dederam, deinde paucis variarum februm curationem exposueram. Nemini sane mirum videbitur, me saepius aliorum practicum experientia usum fuisse: quæ enim fieri possit,

ut intra biennium prorsus propria experientia innixum et liberum iudicium ferrem?

Quod observet lector hujus speciminis benevolus. Libentissime hanc arripio occasionem vobis, viri Clarissimi, Matheseos et Philosophiae naturalis nec non Medicinae Professores, veras meas gratias agendi, quod meis studiis favistis meisque commodis per curriculum academicum inserviistis. Tibi praecipue, Vir clarissime Loncq, promotor aestumatissime, maximam debeo gratiam, cum pro optima tua institutione, tum pro auxilio et consilio, quae in hoc specimine elaborando tam benevole mihi praebuisti Persuasum tibi habeas, animum meum ob magnam tuae benevolentiae copiam gratissimum esse, nec quicquam mihi in posterum dulcius fore quam Tui memoriam.

Non possum, quin te compellam, amice Van de Water vir experientissime, in pago Wormerveer artem factitans, qui animum meum juvenilem primus hujus studii et scientiae amore imbuisti. Noli recusare gratias ex inopectore Tibi palam oblatas pro tantis per quadriennium de me meritis, quorum sane recordatio mihi semper grata erit.

Nunc vobis, commilitones amicissimi, valedicendi mihi officium restat. Valetе vos omnes, quibuscum in hac alma Musarum sede studii vinculis conjunctus fui, quique vera fidaque amicitia me persequi non desistis. Floreat haec nostra amicitia, quamvis remotissimis in oris versemur, quorsum nos duaverit dira necessitas. Iterum valetе.



De cura februm intermittentium.

A. Num febris intermittens statim tollenda est?

B. Modus, quo variae species curantur.

a. Febris intermittens simplex.

1. Curatio paroxysmi { Stadium frigoris.
" caloris.
" sudoris.

2. Curatio totius morbi.

Diversa medicamina eorumque administratio
modificata in diversis typis.

b. Febris intermittens complicata.

α Complicatio cum gastricismo.

β Complicatio cum inflammatione.

c. Febris intermittens perniciosa.

d. Febris intermittens larvata.

α Benigna.

β Perniciosa.

A.

Num febris intermittens statim tollenda est? Huic quaestioni valde diverse responderunt.

Boerhaavius cursum febrium vernalium minime impediendum esse docuit, quia censebat eas corpori esse salutare, dum usum corticis peruviani in his casibus praescribebat, in quibus vehementissimae erant, vel jam aliquo tempore duraverant. Van Swieten in commentar. in aphorism. Boerhaavii addit.: „Maximi momenti haec „regula, (quod morbus jam aliquo tempore duravit) qua „neglecta mors quandoque, saepius autem dira et anomala „symptomata secuta fuerunt, ipsa certe longe pejora.” Etiam Sydenhamus reprobatur usum maturum febrifugorum. Dicit enim: „Curandum est ante omnia, ne praemature „nimis hic cortex ingeratur, ante scilicet quam morbus „suo se Marte aliquantisper protriverit, neque enim illud

„solum esse metuendum, ne a praepropero ejus usu inefficax iste reddatur et spem aegri fallat, sed etiam ne de „vita aegri agatur, si sanguini omnis fermentationis nisu „se despumanti, ei decerpente injiciamus remoram.”

Recentioribus autem temporibus in contrariam abierunt sententiam, quippe inter alios *Canstatt*: opinio, inquit, etiamnunc multos occupans medicos, subitaneam febris suppressionem multorum aliorum morborum causam esse, falsa est et aegrotanti perniciosa, quandoquidem unoquoque novo paroxysmo febris magis perstat et producta morbosa localia praesertim in liene augentur, et paene expugnari nequeunt, atque igitur secundum paroxysmum modo esse expectandum ad typum et characterem cognoscendum. *Trousseau* e contrario existimat, antipyretica non esse exhibenda, saltem nullis vitae periculosis symptomatibus accedentibus, ante quartum vel quintum febris paroxysmum, quia in paludosis regionibus, ubi febres intermittentes endemicae sunt, etiam alii morbi quandoque initio meras habent intermissiones et ne accuratissima quidem exploratione instituta ante hoc tempus certa diagnosis fieri potest, et tunc exhibito cortice peruviano in posterioribus casibus morbum potius ingravescere quam minui. Etiam posterioribus temporibus observatum est, post subito sublatam febrem, hydropem vel physconiam lienis et hepatis orta fuisse, quae cuique curationi

constanter resistebant, sed post iteratum febris paroxysmum curabantur: atque ideo in febribus non exhaustorum individuorum incipientibus caute antipyretica exhibenda esse. Etenim licet *Cansatt* contendat, tunc orientem hydropem non sequulam fore febris intermittens, talis tamen utriusque esse potest necessitudo, ut unius ejusdem causae effectus metaschematismi adinstar semet invicem excipiant. Sic promotor aestumatissimus mihi narravit observationem mulieris, intermittente quotidiana laborantis, in qua febris post septimum paroxysmum absque ulla curatione cessavit, sed hydrops anasarca prodiit, qui etiam post septem dies redeunte febris paroxysmo disparuit. Quae omnia considerans, quaestioni, an febres intermittentes simplices statim tollendae sint, minime responderi posse, opinor, sed febris impetum observandum esse, ut et constitutionem aegri et anni tempestatem, qua febris oriatur. Plerumque tamen febrifuga statim exhibere non expedit.

In febribus intermittentibus complicatis prius complicationi obstandum est, quam cortex peruvianus exhibeatur. Attamen hinc liceat mihi notare, hoc non ita se habere in febribus perniciosis, quae quodam sensu febres complicatae existimari possent, at tantum valere in febres cum gastricismo, inflammatione, obstructione, caet. complicatas. Quod ad febrem intermittens cum gastricismo complicatam attinet, etiam animadvertendum est, hanc complicationem

nonnunquam omnibus rite administratis remediis eodem tenore resistere, atque febrifugis exhibitis et febrem et symptomata gastrica evanescere.

Si febres intermittentes durante alio morbo oriuntur, caveatur, ne statim tollantur, quum non raro rebelles impetigines, neuroses, alias conditiones morbosas febre orta recessisse, observatum sit.

Quod ad febres perniciosas attinet, quia vulgo secundus vel tertius paroxysmus lethalis est, chinini majores doses interdum jam ante paroxysmi finem exhibendae sunt; quod nominatim valet de febribus larvatis perniciosis, dum larvatae benignae eodem modo curari possunt, quo febres intermittentes simplices.

Ex antecedentibus igitur apparet, antipyretica duntaxat in febribus perniciosis statim exhibenda esse, minime vero semper prodesse in febre intermittente simplici, et in febribus complicatis primum, ut complicatio tollatur, operam dandam esse.

B.

Modus, quo variae febris species curantur.

a. *Febris intermittens simplex.*

Febris intermittens curatio dividitur in paroxysmi et morbi totius curationem.

Curatio paroxysmi.

Ante cognitum corticem peruvianum variis tum internis, tum externis remediis paroxysmum avertere tentaverunt, et quidem adhibuerunt emeticum, magnas laudani doses, venaesectionem vel cucurbitas siccas, quin etiam membra deligarunt. Recentiore vero tempore plerique haec omiserunt remedia, quandoquidem post suppressos paroxysmos nonnunquam lethifera apparuere symptomata, atque cortex peruvianus ejusque praeparata multo certiora sunt remedia, quibus impugnetur.

a. *Stadium frigoris.*

Ineunte hocce stadio, aegrotans in lecto antea calefacto collocandus est eique calida tegumenta praebenda sunt, dum cutem lana calefacta fricando et urccis, aqua fervida repletis, corpori apponendis, eum calefacere molimur.

Pro potu praebetur ei infusio calida florum chamomill. sambuci, decoctum althaeae, similia. Si horripilationes et convulsioncs vehementissimae sunt, aliquot guttae ammoniacae, multa aqua dilutae, exhibendae, vel infusio valerianae, vel opium. Si nausea vel vomitus oritur et aeger siti ardet, haec acidis fructibus et pulvere aërophoro potius sedanda sunt, quam ut magna aquae copia aegro exhibeatur, qua

plerumque vomitus proferatur. Stadium frigoris diutissime durans, si fieri potest, tollere debemus ope magnae dosis laudani, vini, vel balneis calidis.

b. *Stadium caloris.*

In hoc stadio tegumenta aegrotantis sensim immi- nuenda sunt, dum contra sitim vulgo inexplebilem aqua frigida, potio, c succo citri vel ribesiorum confecta, vel cerevisia aqua diluta exhibenda est. Capitis dolori, qui hocce stadio plerumque adest, fomentis frigidis capiti, sinapismis inferioribus membris imponendis, quantum fieri potest, occurrendum est, et quamquam in plerisque casibus bene cedit, interdum tamen, inprimis in fortibus aegris, coacti, debemus venaesectionem pro re nata instituere. Sententiam viri doct. Giannini, ex qua aegri per hoc stadium balneo frigido immergerentur, propter crebras, quae in eo oriuntur, apoplexias, pauci amplexati sunt.

c. *Stadium sudoris.*

Quando aegri cutis humescere incipit tegumentum denuo aliquantisper augendum, omnisque refrigeratio dili- genter ab eo arcenda, quoniam non raro, sudore represso,

hydrops apparuit. Sudor non erumpens quantumpote provocandus est, exhibito pulvere Doveri, acetate ammoniacae liquidi et potionibus calidis.

Curatio totius morbi.

Quum paroxysmus finitus est et apyrexia successit, exhibeantur medicamenta morbi naturae opposita, quae tamen valde differunt pro constitutionibus, pro vehementia et typo febris. Ita febres vernaes quotidianae et tertianae non raro cedent exhibitis extractis amaris, ut extr. trifol. fibrini, extr. gentianae, quassiae, aliis. Quodsi vero hae febres in iis, qui jam antea morbis exhausti sunt, orientur, vel typus sit quartanus, antipyretica efficaciora, ut vulgo in febribus aestivis et autumnalibus, exhibenda erunt. Febres autem, quae tempore aestivo oriuntur, propter complicationem, quae plerumque adest, cum gastricismo vel alio vel polycholia, praeparantem, ut ita dicam, postulant curationem, de qua vero infra in febribus complicatis agetur.

Inter febrifuga, quae hodie adhibentur, cortex peruvianus et ex eo parata alcaloidea praecipua sunt. Corticis hujus dotes antipyreticae anno demum 1638 in Europa innotuerunt, postquam comitissa del Cinchon, ex Peruvia in Hispaniam reversa, ejus dotes docuit, unde

diu nomen illi fuit *pulveris comitissae* (gravinne-poeder.) Quia Jesuitae in Lima cum febre laborantibus praebuerunt, illi etiam nomen fuit *pulveris Jesuitarum*, et quia quandam quantitatem Cardinali societatis Romam miserant, qui rursus partem Cardinali De Lugo donavit, vocabatur interdum etiam *pulvis Cardinalis*.

Methodi hujus remedii exhibendi valde diversae sunt.

Praecipuae sunt:

Methodus Romana (Torti).

„ Anglica (Sydenham, Morton, alii).

„ Franco-Gallica (Bretonneau, Trousseau, alii).

Methodo Romana, quae prima in Europa innotuit, cortex quam proxime ante paroxysmum magnis exhibebatur dosibus. Quia non raro sequens paroxysmus vehementior erat, atque facillime vomitus oriebatur, post paroxysmi decursum partitis vicibus a Sydenhamo administrabatur. Post octo dierum spatium iterum eadem exhibebatur quantitas, quae bis repetebatur. Eandem etiam methodum Morton secutus est. Methodus Franco-Gallica (Bretonneau) in eo tantum differt ab Anglica (Sydenham), quod quinto die post dosin primam haec iterabatur, tunc post octo dies iterum eadem dosis exhibebatur, et ita per mensem continuabatur. Hodie tamen cortex, postquam anno 1829 Cavenou et Pelletier alealoidea in ipso detexerunt, paulatim abolevit.

Corticis ipsius (in substantia) fere nullus est usus, attamen forma decocti etiam nunc subinde adhibetur, alcaloideis additis, quod aegri inter duos paroxysmos capiunt. Et hoc quidem maxime prodest, quando accedenti indicationi satisfieri potest, ex. gr. si febris jam diu perstitit et aeger imbecillimus est.

Ex alcaloideis, nempe chinino et cinchonino, prius, praesertim cum acido sulphurico conjunctum, hodie plurimum exhibetur. Nondum tamen, quo tempore ante vel post paroxysmum, nec qua quantitate et quomodo exhibeatur, convenit. Etenim alii administrant unam dosin majorem ante paroxysmum, alii doses partitas, quarum usum inter duos paroxysmos praescribunt: in quotidiana omni hora, in tertiana vel quartana omni bi-vel trihorio. Quum specimen de actione therapeutica sulph. chinini scribere cuperem, utriusque exhibendi methodi periculum feci, ea modificatione, ut apud febres tertianas et quartanas non diebus apyrexiae, sed aliquot horis ante ipsum paroxysmum remedium exhiberim. Meae observationes, quamvis numero pauciores sint, quam ut ad aliquid certi venirem, effecerunt, ut in febribus hinc verno tempore endemiis posteriorem praeferam methodum.

In quibusdam casibus, quibus chininum una dosi brevi ante paroxysmum exhibui, ille quandoque postponebatur, in plerisque tamen casibus multo vehementior erat

et raro prorsus siluit. Adhibitis contra dosibus partitis, vulgo jam proximus paroxysmus remorabatur. Quod ad recidivas attinet, differentiam non observavi chininum. Nisi per aliquod tempus continuaretur, in omni casu oriebantur.

Quantitas etiam varia praescribitur, quod tamen non mirum videri potest, quum rationem habemus, non semper notatum fuisse, utrum casus tempore vernali an autumnali provenerint, cum posteriores vulgo multo majores doses postulant, quam priores, praesertim febres quartanae.

Plerumque contra tertianas vernaes grana duodecim sufficere reperi, quae ita partitus sum, ut sex grana sex vicibus ante paroxysmum secuturum atque iterum sex grana eodem modo post secutum paroxysmum sumerentur. In febribus quartanis et in quartanis duplicibus, sive paulo ante paroxysmum 12 grana una dosi, sive partitis vicibus exhibuerim, paroxysmi non recesserunt; vulgo ad has febres supprimendas 16—20 grana requirebantur. In multis febribus autumnalibus, praesertim quartanis, hae doses quoque sine effectu erant. Varii ejusmodi casus hinc in Nosocomio se obtulerunt, in quibus 16 gr. sulph. chinini, in quatuor partes divisa et ante paroxysmum exhibita, bis repetenda erant. Si paroxysmi haudquaquam recedebant, additionem parvae quantitatis extr. nuc. vomic. vel extr. opii efficacissimam esse apparuit. In iis igitur casibus, in quibus propter instantem vel jam existentem

cachexiam prompta febris suppressio optanda est, praescribatur vulgo haec formula:

R. Sulph. chinini gr. xvi

Extr. nuc. vomic. alc. gr. β (Extr. opii)

Sacch. albissim. scr. iv

M. f. pulveres no. iv.

d. s. omni hora ante paroxysmum pulvis sumendus.

Forma, qua exhiberi solet, est pulverum vel pilularum, interdum solutionis cum aliquot acidi sulphurici guttulis; quae ultima quidem maxime efficax est, non vero commendabilis in constitutionibus irritabilibus, quae cum perferre nequeunt; neque etiam pueris exhibeatur propter saporem perquam amarum.

Si post chinini usum vomitus vel diarrhoea oritur, quod interdum fit, addatur parva opii quantitas, quae praeterca, ut jam antea diximus, actionem auget; si vero e contrario chininum alvum stringit, rhei vel calomelanos addatur parva quantitas. Si propter ventriculi irritabilitatem chininum minime fertur, injiciantur 15—30 gr. soluta parva quantitate acid. sulphur. diluti, forma enematis.

Etiam endermatica adhibita est methodus, et Doct. Lieber, qui multa ejusmodi experimenta instituit, in pluribus quam sexaginta casibus, tantummodo

octies vel decies non profuisse, ait. Vespere vesicatorium magnitudine palmae manus parvae scrobiculo cordis imponebat et matutino tempore apyrexiae vesiculam frangebat, et in adultis 5—6 grana, in infantibus duo grana sulphatis chinini inspergebat, cui imponebat emplastrum adhaesivum. Post duodecim ad viginti quatuor horas vulgo oriebatur sapor amarus et quandoque prorsus non rediit primus exspectandus paroxysmus, nonnunquam tamen multo vehementior erat; sed tunc sequens recessit, vel saltem multo minore vehementia apparuit. Ulceribus autem exortis maxime dolentibus, alii linimentum applicuerunt chinini, spiritu vini soluti, alii etiam unguentum de chinino. Omnes vero hac administrandi methodi usui interno postponendae sunt, atque hodie igitur duntaxat in his casibus adhibentur, ultima non indicata.

Caetera salia chinini, ut acetas, chinas, citras, hydrochloras, nitras, phosphas, tannas, tartas et valerianas chinini, excepto hydrochlorate chinini, parum adhibentur.

Cinchoninum ejusque salia, praecipue sulphas cinchonini, magnas, ut febrifuga, utilitates praebent; multum vero chinino postponuntur, et licet nonnulli iis minimam quidem vim medicam denegarint, tamen in non paucis casibus febrim intermittentium, tertianarum et quarta-

narum bono eventu exhibita sunt. Ex observationibus, a viro doct. de Bordes anno 1849 institutis, colligitur, cinchonino rite et exacte administrato iisdem dosibus, quibus sulphas chinini, in casibus non urgentibus doses inesse febrifugas, fere similes sulphati chinini. Secundum alios doses paulo majores requiruntur quam chinini, ita quidem, ut tempore apyrexiae 16—30 grana partitis vicibus exhibcantur.

Chinoidinum, quod anno 1829 Serturner tanquam novum alcaloideum chinicum indicavit et ad febres intermittentes curandas exhibuit, excellit, ut ait, chinino, quantum hoc inferius cortici ipsi, dum praeterca recidivas certius praepedit.

Etiam secundum observationes, a Flûme, Pietsche, Richter, Dreyer aliisque institutas, hoc remedium optime juvasse apparet: nam ex 78 casibus, in quibus Flûme illud exhibuit, ejus usu triginta curabantur.

Jam anno 1826 quoque in nostra patria exhibiti residui resinosi chinini, quod etiam chinoidinum vocabatur, effectus salutare erant, quod patet ex observationibus Nanningae, Hoffmanns, Engels, Thuessink et Reiling. Hodie vero ob ejus actionem incertam, ex varia compositione pendentem, parum exhibetur. In praxi pauperum tantummodo ibique in casibus levioribus praescribitur a duobus ad tria grana, omni bihorio, vel

tinctura chinoidini *) a 30 ad 40 guttulas, ter quaterve de die.

Post corticem peruvianum ejusque alcaloidea arsenicum absque ullo dubio efficacissimum febrifugum. Varias variis temporibus opiniones fuerunt de hoc remedio exhibendo: quippe alii in chinini locum illud substituere, alii vero contra febres intermittentes minime adhibere voluerunt. Observationes tamen recentiorum temporum, imprimis comparativae, docuerunt, febres, quae chinino exhibitum non cederent, arsenici administratione curari; caeteroquin parce et cautissime hocce remedio duntaxat in diuturnis et pertinacibus casibus, in quibus chinini administratio non agat, utendum esse, praesertim propter frequenter accedentes actiones noxias. Experimentis institutis Champouillon, ex 108 aegrotis, quorum 74 quotidiana, 29 tertiana et 5 quartana laborabant, medebatur 52 unice solventibus et diaeta; ex ceteris 56 exhibuit triginta chininum, et 26 arsenicum; ex iis, quibus chininum dedit, 24 curati sunt, 6 febre vexari pergebant, ex quibus, rursus exhibitum arsenico, 4 febre liberabantur. Ex 26, quibus arsenicum administrabatur, 11 curabantur, ceterorum 15, quibus chininum exhibitum fuerat, rursus 12 febre

*) R. Chinoidini dr. i.
 Spir. vini rectificatiss. unc. i. } Pharm. Hamb.
 Misceantur.

iberabantur. Unde patet, arsenicum chinino multo minus efficax esse, dum ex iis, quibus arsenicum administratum fuerat, quatuor siti inexplebili et nausea, octo vomitu, colica passione et diarrhoea, unus convulsionibus, unus vehementi gastro-enteritide et unus acri arthritide afficiebantur.

Verignon, qui etiam de hoc remedio experimenta instituit, invenit, arsenicum non in chinini locum substitui posse, sed tantummodo inveteratis, rebellibus, neque chinino curandis casibus exhibendum esse.

Etiam Zeroni, medicus Manhemii, qui 108 laborantibus arsenicum exhibuit, decrevit in curatione febris intermittens chinino uti, quia in triginta quinque symptomata morbosa observabantur, et pretium hujus remedii vilius numero curationis dierum atque majori alimenti corroborantis copia compensabatur, qua iis, quibus arsenicum exhibitum fuerat, opus erat. Undecim horum aegrotantium, quorum septem febre intermittente tertiana et quatuor febre intermittente quotidiana laborantibus exhibuit per triduum sextam grani partem acidi arsenicosi de die maxime diluti, et per novem dies sequentes tertiam grani partem ejusdem remedii. Horum duo tantum plane curabantur, vel difficulter et symptomatibus morbosus, remedio procreatis; duo in morbum incidebant recidivum, quibus chininum praescribebatur. Caeteri 97

sexta grani parte de die per duodecim dies utebantur, quorum 73 tertiana simplici, 9 tertiana complicata, 14 quotidiana et unus quartana affectus erat. Horum 47 tertiana simplici laborantes curabantur, absque ullis symptomatibus accedentibus, 22 laborabant variis affectionibus morborum, in 4 eventus non faustus. Febres tertianae complicatae arsenico curabantur. Aegroti quatuordecim quotidiana febre laborantes morbo liberabantur, tribus exceptis, qui in morbum recidebant, inter quos septem noxiam hujus remedii actionem non experti sunt. In quartanis arsenicum prorsus effectu carebat.

Merkus Doornik ex 115 aegrotantibus, quibus $\frac{1}{8}$ gr. acid. arsenici exhibuit, se ne in uno quidem quoddam symptoma noxium observasse dicens, 67 arsenico curavit, quod non solum cum fructu in chinini locum subrogari posse, sed innoxium etiam esse, ob saporem non amarum aegris jucundum et non pretiosum remedium celebrat, quod praeterca in rebcllibus casibus, qui chinino resistunt, interdum maxime necessarium est. Arsenicum nunquam exhibuit nondum sedecim annos natis, neque iis, quorum digestionis organa male se habebant.

Hodie exhibetur forma solutionis Fowleri bis vel ter de die quinque guttulis per apyrexiam. Kali arsenicosi forma solida exhibetur $\frac{1}{32}$ — $\frac{1}{16}$ gr. pro dosi quotidie, ter de die.

Praeter memorata remedia, corticem peruvianum, ejus

alcaloidea et arsenicum etiam tonica amara frequenter adhibentur ad curationem febrium intermittentium, quae, ut supra jam dixi, non raro sufficiunt ad febres tertianas vernaes tollendas. Maxime usitata sunt extr. trifolii fibrini, extr. gentianae, extr. quassiae, extr. absinthii et extr. centaurei. Tunc praesertim prosunt, quum magnae irritabilitati conjuncta atonia digestionis organorum adest. Exhibentur vulgo soluta, dosisque differt pro aegri aetate atque constitutione, adultis plerumque 1—3 drachmae, aquae unciis octo solutae.

Propter magnum corticis peruviani pretium ejusque alcaloidcorum, omnimodo alia in eorum locum substituere voluerunt. Nimirum cortex angusturac, cortex salicis, cortex hippocastani, cortex liliodendri tulipiferae, phellandrium aquaticum, radix aristolochiae bono successu exhibita sunt in casibus non paucis, at plerumque levioribus.

Inter alcaloidea, quae chinini loco adhibita sunt, caffeinum Douvin, santonium Bouchardat, conium, leucoleinum, atropinum, daturinum et nicotinum Wertheim, et alii piperinum, salicinum, berbeninum, phloretinum, phloridzinum et ultimis temporibus etiam aesculinum nonnunquam bono exhibuerunt successu. Etiam electricitas, aranea, colla, succus plantaginis, hydroferro-cyanas potassae et urci, chloratum natricum et chloro-

formylum adhibita sunt. In plerisque tamen casibus redeundum erat ad chininum, in cujus locum sane nondum aliud sufficere potest remedium.

Febre sive chinino seu arsenico superata, restat quaestio, utrum horum remediorum usus sistendus et tempus expectandum, quo recidivae soleant prodire, an continuandus sit. Quod ad arsenicum attinet, communi consensu traditur, hoc remedium, simulac paroxysmus recedat, non diutius exhibendum esse, ino vero ne in recidivis quidem, qui tamen rari sunt, ad illud redeundum.

De chinino tamen valde diversae sunt sententiae. Nonnulli videlicet exiguam chinini dosin iis diebus, quibus duo seriores exspectantur paroxysmi, exhibent; alii septimo vel quarto decimo die, quoad typum febris, quae exstitit, dum et alii corticis peruviani pulverem per duas, tres quatuorve hebdomades continuas praescribunt.

In casibus mihi hinc obviis curationem institui, prius chinino exhibito, amaris ad sextum vel septimum diem usque, tum rursus exiguis chinini dosibus; et plerumque recidivas arcere mihi contigit. Si febris jam diu exstiterat atque anaemia subierat, pergebam, ante febre sublata, exiguis chinini dosibus exhibendis, cum subcarb. ferri conjunctis, sic etiam quando percussione apparuit, lienis vel hepatis physeoniam adesse. In curatione post febrem intermittentem aegro omnia quantumpote noxia

momenta, ut refrigeratio, error dietæ, quæ posterior plenior et crassior, diligenter evitanda sunt. Remanenti post febrem diuturnam hydropi, diureticis et tonicis conjunctis resistendum est. In casibus, in quibus invitis omnibus remediis febris non cedit aut continue redit, unica convalescendi spes in mutatione domicilii restat.

b. *Febres intermittentes complicatae.*

Quod jam supra quaestioni, an febris intermittens statim sit tollenda, respondens dixi, in febribus complicatis primum complicationem existentem, si fieri potest, tollendam esse, neque vero dubitandum esse, symptomatibus gravescentibus exhibere antipyretica, aliorum practicorum nititur experientia. Haec enim docuit, quando v. gr. in febre, cum gastricismo complicata, chininum statim post primum vel secundum febris paroxysmum exhibeatur, non raro noxias inde oriri sequelas. Scilicet Rombach et alii tradiderunt, talibus in casibus febrem quidem recedere, sed infirmam valetudinem subsequi: aeger de lassitudine queritur; quamvis esuriens, mox tamen illius famem expletur; os ejus matutino tempore siccum; alvus irregularis, occiput illi dolet, et aliquo tempore post rursus paroxysmus oritur, quem continuus chinini usus arcere nequit. In aliis tamen

casibus, quamvis recta instituat^r curatio, febris et cum ea symptomata gastrica augentur, dum exhibit^o chinino febris atque ejus complicatio cedunt.]

Quando igitur febribus gastrica accedit complicatio, hanc emeticis, purgantibus vel resolventibus, prout symptomata postulant, deprimere conandum est, neque raro gastricis symptomatibus, huic curationi cedentibus, etiam eodem tempore febris desinere observabitur. Perdurantem vero febrim exhibita exigua chinini dosi abire videbimus. Si e contrario symptomata gastrica recte instituta curatione persistunt aut magis ingravescunt, statim chininum exhibendum et majoribus quidem dosibus (16—20 gr.)

Aestumatissimi Promotoris benevolentia occasionem mihi praebuit, varias morborum relationes, qui tempore aestivo anni 1857 in hac provincia epidemice regnarunt, inspiciendi, atque inde patet, in febribus intermittentibus complicatis tunc epidemicis curationem resolventibus, purgantibus et emeticis quibusdam in casibus quidem emendationem, non vero sanationem attulisse, dum vulgares chinini doses in plurimis non valebant contra febrim atque saepius majores requirebantur doses. Frequenter post has febres remanens dyspepsia tonicorum, amarorum et aromaticorum remediorum usu arcenda atque corroborans justaque diaeta praescribenda est.

Si febres cum affectione inflammatoria unius alteriusve organi complicatae sunt, antiphlogistica medicatione prius haec complicatio tollenda est, quam tollere febrim licet. Si venaesectionem instituere necesse sit, haec instituatur durante secundo febris stadio vel durante apyrexia longe ante paroxysmum expectandum. Quum vero hae affectiones inflammatoriae non raro e localisatione processus intermittentis pendeant, chininum nonnunquam mature exhibendum erit, quandoquidem experientia docet, non raro, ut in febribus cum gastricismo complicatis, complicationem chinino exhibito simul cum febre evanescere. Chininum exhibere, saltem modo vulgari, non licere, si ventriculi membrana mucosa irritata vel inflammata sit, vix est, quod moneamus.

Praeter has complicationes etiam variae aliae prodire possunt, quas omnes de industria tractare non hujus est speciminis.

c. Febres intermittentes perniciosae.

Hae febres hinc raro prodeunt, neque per illud temporis spatium, per quod in Nosocomio academico febres diversas curavi, ullum observavi casum. Quae igitur de earum curatione communicare possum, prorsus iis, quae jam ab aliis dicta sunt, nituntur. Universe tantum

tradam, quid contra has febres sit faciendum, quippe diversas formas seorsim describere, quibus prodire possunt, totam complecteretur therapiam.

Durante paroxysmo, maxime urgentia symptomata mitiganda sunt. In febre perniciosa algida, cum plethora systematis venosi et cordis dextri, in febre intermittente apoplectica, pneumonica et universe in iis febribus, quibus inflammationis formâ certa tantum corporis pars laborat, universales vel locales sanguinis detractiones postulari possunt, in quibus tamen maxima adhibeatur prudentia, quippe, experientia duce, non raro, postquam institutae erant, convulsiones et ubi nondum aderat, etiam coma oriebantur, atque subsequens paroxysmus plerumque maturius et vehementius redibat. Utrum in febre intermittente soporosa venaesectio sit instituenda, nec ne, variorum valde differunt sententiae, sed secundum Griesinger plerique meliorum observatorum eam aversati sunt, quia non raro collapsus et mors subsequebantur.

In febre intermittente perniciosa algida, una cum venaesectioe adhibenda sunt excitantia, ut aether, ammonia liquida, infusiones aromaticae, caet, dum interim instituendae erunt frictiones pannis calidis, spiritu vini camphorato, et in summo gradu frictiones glacie vel aquae frigidae irrigationes. Febre cum vomitu vehementi complicata, exhibeatur opium, pulvis aërophorus, glacies, caet, in

calore valido cum congestione ad caput et in comate aqua frigida vel epithemata frigida capiti, refrigerantia fomenta, derivantia fortia partibus inferioribus, in sudore forti debilitante curatio refrigerans et acida mineralia vel vegetabilia.

Quando autem post unam alteramve curationem vel symptomata minui vel apyrexiam adesse animadvertimus, febrifuga sunt exhibenda. Ante detecta corticis peruviani alcaloidea Torti ter quaterve majores doses corticis peruviani pulveris administravit, quam solebat in febribus simplicibus, jam incipiens, quum praesentis paroxysmi symptomata desinere coeperant. Quum tempus inter decursum unius paroxysmi in febribus intermittentibus tertianis subintranctibus brevius esset, quam ut corticis peruviani actio prodesse posset, illum Bretonneau medio in paroxysmo exhibebat, quamvis interdum symptomata ingravescerent. Sed dum Torti aegro 4—6 drachmas simul et semel praescripsit, exhibuit Bretonneau prima vice 3 drachmas, quam dosin omni trihorio iterandam curavit, donec 9 drachmae consumtae essent. Si vero paroxysmus cum vomitu complicatus erat, vel eodem tempore gastritis aderat, cortex peruvianus forma enematis, sed aliquanto minore quantitate, administrabatur. Si sequens paroxysmus forte fortuna arcebatur, aliquamdiu cortex peruvianus exhibebatur et quidem 2—3 dr. de die.

Hodie tamen sulphas chinini, cujus actio multo certior est, adhibetur, quandoquidem intra breve temporis spatium illius quantitas exhiberi potest, quae multo certius sequentem arcet paroxysmum, quod hfc optabile est, quum non raro aegro letiferum fuisse observatum sit. Exhibetur, paroxysmi symptomatibus paululum remittentibus, magna dosis simul et semel, vel iterantur doses minores, quas vero majores esse oportet, quam in febre intermittente simplici.

De quantitate etiam nunc dissentiant. Nonnulli enim 10 gr. simul et semel, dum Maillot in quotidiana perniciosa 40 gr. omni hora praescribebat, et in typo tertiano minores et mox demum ante tempus instantis novi paroxysmi majores doses. Bailly exhibuit per aliquot horas 20—40 gr. et plura. Secundum Wunderlichium in iis casibus, in quibus periculum adest et apyrexia minus bene expectari potest, chininum, quia nonnunquam paroxysmus ingravescet modicis dosibus (1—2 gr.), durante paroxysmo existente exhibendum est, simulatque vero symptomata desinant, dosibus majoribus. Si vomitus adest vel ob nimiam ventriculi sensibilitatem chininum interno usui exhiberi nequit, tunc in enematibus administretur, quae si quoque rejiciuntur, methodus endermatica, quam supra descripsi, applicanda est. Si hocce modo sequens paroxysmus arcetur, vel saltem minutus

est, etiamnunc per aliquot dies chininum exhibendum est, et quidem aliquanto majoribus dosibus, quam in febre intermittente simplici. Remanentes complicationes locales secundum regulas therapiae universalis curandae sunt.

Febres intermittentes larvatae.

Harum februm curatio differt pro forma, qua prodeunt. In morbi formis, quibus processus intermittens se indicat, vitae non periculosis, ut v. c. intermittente prosopalgia, cephalalgia, odontalgia, ischiade, caet., curatio eadem est, quae febris intermittens simplicis. Si nempe in regione, ubi febres intermittentes endemicae sunt, ejusmodi casus prodeunt, nec, quamvis diligentissime inquiratur, ulla hujus neuralgiae causa investigari potest, exhibita sulphatis chinini aliquot grana in plerisque casibus eam depellent.

Quo tempore in Nosocomio academico febre laborantes curavi, mihi ejusmodi casus se obtulerunt. Primus erat in muliere 28 annorum, matre 4 liberorum, quorum natu minimus 1¹/₂ anni erat, etiamnunc lactens. Jam dolor bimestris in parte ejus faciei dextra affuerat, unoquoque vesperi rediens, dum reliquam diei partem valebat. 12 grana sulphatis chinini ei praescripsi in 6 doses partita, quae de die sumeret. Vesperi post chinini usum dolor

duas horas retardabat et postero die prorsus non redibat; quum vero tertio die rursus quidam dolor in dextra aure apparuisset, iterum sulphatis chinini gr. xij praescripsi, quae denuo sex vicibus sumeret. Haec mulier autem post hunc diem non rediit, quamvis illam valde hortatus essem, si dolor non desineret. Ex quo credere mihi licet, illam curatam esse.

Alter casus etiam mulieris erat, annos 30 natae et nuptae. De pungente in fronte dolore querebatur, qui cujusque temporis matutini hora nona oriebatur et usque ad horam secundam pomeridianam continuabat. Dolore, qui interdum tam gravis erat, ut mulier lectum adire deberet, evanescente, cutis temperatura multum accrevit. Illi gr. x sulph. chinini praescripsi, quorum quinque vesperi, reliqua matutino tempore sumeret. Quo facto, dolor prorsus desiit et post 5 hebdomades nondum rediit.

Nec chinino nec arsenico perfectam curationem afferentibus, interno usui magnae subcarb. ferri doses vel externae unguenti veratrini et morphini infrictiones multum prosunt.

Si haec curatio sufficere solet in istis febris generibus, tamen etiam ejusmodi symptomatibus, ut sequentis paroxysmi suppressio optanda sit, prodire possunt; quae sunt febres intermittentes larvatae perniciosae. In iis

curatio magnis chinini dosibus indicata est; sed quia maxime difficile est discernere, an haec morbi species ex ingresso malaria-miasmate pendeat, raro nisi post paroxysmi secundi decursum illud exhiberi poterit. Si igitur post symptomata apoplectica, paralysis, quae haec sequi solet, prorsus desinit et aeger integra valetudine videtur, tunc quum postero die eadem hora vel paulo ante vel post oriatur, magnae erunt chinini doses exhibendae, atque quidem eo majores, quando casus accedit in regione, ubi febres intermittentes endemicae sunt, vel cuiuspiam evenit ex tali regione venienti. Hae species plerumque non prorsus integrae sunt, sed eas praegrediuntur horripilationes, aut subsequitur sudor localis vel universalis atque alia symptomata febris. Praeter symptomata apoplectica prodeunt etiam aliis variisque formis, quae sunt tetanus, syncope, convulsiones, haemorrhagiae, aliae, et quae jam in febribus intermittibus perniciosae dicta sunt, hic etiam magni sunt momenti, nempe primum maxime urgentia symptomata arcere conandum est, hisque aliquantum remittentibus, magnae chinini doses (20 -- 40 gr.) exhibendae sunt.

OBSERVATIONES.

I.

J. van Essen, vigesimum primum aetatis annum agens, die 14 Februarii in polyclinicum venit, quum jam diu febre intermittente quotidiana laboravisset. Paroxysmi tempore matutino veniebant et per unam horam durabant. Grana 12 sulphatis chinini, una dosi sumenda, praescribuntur. Febris illo die vehementior fuit et paroxysmus per duas horas continuavit. Die 23 ejusdem mensis redit juvenis et narrat, febrem plane recessisse. Timens autem, ne recidiva prodiret, rursus 12 grana sulphatis chinini commendavi, in duodecim partes divisa, quarum quoque die duas sumeret. Die 2 Martii

quo aeger valde debilis erat, sequentem formulam praescripsi :

R. Sulph. chinini gr. xij,

Subcarb. ferri,

Extr. liquirit. aa dr. i.

M. f. pilulae n^o. 60. d. s. ter de die quatuor.

Quum vires augeantur nec febris redeat, die 14. Martii pilulae iterantur sine sulphate chinini et die 1 Aprilis eum bona valetudine fruente dimisimus.

II.

G. Mulder, tricesimum aetatis annum agens famula, e pago Vinkeveen, jam per aliquot menses febre quartana laboraverat, et novum paroxysmum expectabat die 15. Februarii. Grana 12 sulphatis chinini praescripsi, sumenda ante paroxysmum una dosi. Die 21 ejusdem mensis rediit et narravit, febrem, quo die chininum ceperat, rediisse, etiam die 18, et nunc etiam paroxysmum se expectare, quum cephalgia et dolor lumbalis, vulgo ei praecedentes, jam adessent. Post majorem dosin, scilicet gr. 16, quam commendavi sumendam die 24 Februarii, febris nondum recessit, vehementia autem multo minor fuerat; die 27 paroxysmus levis et die 2 Martis plane nullus. Ne recidivae prodirent, ei gr. xv sulph. chinini cum

subcarb. ferri dr. 1, forma pilularum, praescripsi, quibus perfecta valetudine restituta, famulam dimisi.

III.

H. van Lemme, tricesimum tertium aetatis annum agens, die 14 Februarii in polyclinicum venit. Jam diu febre interm. tertiana laboraverat, et quum matutino tempore diei 16 novum paroxysmum expectaret, gr. 12 sulph. chinini praescripsi, sumenda die 15. Paroxysmus plane recessit, et quum nulla alia conditio morbosa adesset, nulla medicamina adhibui, et quia non rediit, mulierem a febre liberam mansisse puto.

IV.

Bijleveld, operarius ex urbe Vianen, tricesimum septimum aetatis annum agens, jam diu febre quartana laboraverat, quum die 12 Februarii in polyclinicum veniret. Quum sequenti die paroxysmum expectaret, praescribuntur gr. 16 sulphatis chinini, in 6 doses partita. Die 26 rediens narrat, febrem illo die, quo pulveres sumserat, rediisse, postea vero non item. Ne recidivae oriantur, rursus gr. xvi sulphatis chinini, in 8 doses divisa, commendavi, quarum 4 die 28 Februarii, reliquae die 3

Martii sumerentur. Nulla recidiva exorta, operarium, viribus sufficientibus instructum, dimisimus.

V.

W. Soestbergen, vicesimum tertium aetatis annum agens, die 16. Februarii in polyclinicum venit, febre tertiana laborans. Quia sequente die hora meridiana novum exspectabat paroxysmum, grana 10 sulph. chinini ei praescripsi, una dosi sumenda. Cum non redierit, eum valetudinem, qua antea fructus erat, recuperasse suppono.

VI.

De Ruiter, operarius 32 annorum, die 14 Februarii in polyclinicum venit, febre tertiana laborans. Quum sequente die paroxysmum exspectaret, 6 pulveres sulphatis chinini (2 gr. pro dosi) praescribuntur, ante paroxysmum sumendi. Febris illo die rediit, sequentibus diebus autem plane recessit. Quum valde debilis esset aeger, pilulae de subcarb. ferr. commendabantur, quibus parvam chinini dosin addideram. Nihilominus die 7 Martii rediit, narrans, se pridie novum paroxysmum habuisse. Die 10 in Nosocomium recipiebatur, et videbatur typus nunc esse quotidianus. Pulveres de sulph. chinini no. 4 (3 gr. pro

dosi) praescribuntur, quibus ante paroxysmum suntis febris recessit. Die 12 Martii potionem c. extr. gentian. ad tonum ventriculi restituendum praescribitur. Die 14 Martii decoctum corticis peruviani praescribitur et die 14 pilulae, quibus jam ante usus erat, iterantur. Conditione multum emendata, die 1 Aprilis nosocomium reliquit, cum per aliquot hebdomades pergeret usum pilularum de subcarb. ferri.

VII.

Van der Hulst, rustici famulus 26 annorum, die 9 Februarii in polyclinicum venit, querens, se jam diu febre quartana laborasse. Quum jam signa cachexiae adessent et inde optabile esset, ut febris quam citissime supprimeretur, gr. xvi sulphatis chinini, in 6 doses partita, praescribuntur, quibus additur extr. nuc. vom. gr. dimidium. Quum die 12 et 15 febris rediisset, rursus gr. 12 sulph. chinini, una dosi sumenda, praescripsi. Febre persistente, die 27 Februarii quatuor pulveres sulph. chinini (4 gr. pro dosi) iterantur, quibus suntis, febris recessit. Die 2 Martii potio c. extr. gentian. praescribitur. Non rediit aeger ante diem 14 Martii, sed tum narravit, febrem recidivam fuisse die 9 et die 12. Commendabantur octo pulveres sulph. chinini (2 gr.

pro dosi), quorum die 16 et 17 quatuor sumerentur. Febris solitis diebus, scilicet 18, 21 et 24, redierat. Dosi gr. 10 die 27 adhibui, et febre hac dosi superata, ne recidiva prodiret, diebus antea febrilibus, 30 Martii et 2 Aprilis, gr. 8 sulph. chinini sumsit famulus. Deinde pilulae de subcarb. ferr. c. parva dosi chinini praescribuntur, quibus sine chinino bis iteratis, rusticum fere ad pristinam valetudinem restitutum dimisimus.

VIII.

A. Lakeveld, 19 annos nata, ex urbe Vianen, puerpera, die 12 Februarii febre afficiebatur. Eodem tempore signa gastricismi aderant. Praescribitur decoct. tamarind. c. extr. gramin., et, cum hujus usu symptomata gastrica diminuerentur, febris autem quotidie rediret, die 18 pulveres quatuor sulph. chinini (3 gr. pro dosi) praescribuntur, sumendi ante paroxysmum. Die, quo pulveres sumserat muliercula, febris, quamquam minus vehemens, redierat, sequentibus diebus autem recessit, et die 27 Februarii, valetudine et viribus restituta, nosocomium reliquit femina.

IX.

R. meretrix, 19 annos nata, mense Februarii in clinicum syphiliticum recepta, jam Amstelodami, ut dixit,

diu febre interm. quotidiana laboraverat. Die 18 rursus febre corripiebatur, quae etiam die 19 rediit. Sequentie die quatuor pulveres sulphatis chinini (3 gr. pro dosi) praescribuntur, quibus sumtis, febris recessit. Die 22 iterum quatuor pulveres sumuntur (2 gr. pro dosi). A febre libera mansit ad diem 25 Martii; tunc paroxysmus rediit, et, ut ex decursu patet, erat tertiana duplex. Die 29, quo fortiolem expectabat paroxysmum, grana 12 praescripsi sulph. chinini, quatuor vicibus sumenda. Febre recedente, etiam ad diem 30 et 31 Martii, ut etiam primo die Aprilis, grana octo sulphatis chinini administrantur, et die 4 Aprilis pilulae de subcarb. ferr. c. sulphate chinini praescribuntur. Nihilominus mense Maji denuo auxilium imploravit, febre intermittente duplici laborans. Granis 12 adhibitis sulph. chinini, febris suppressa est. Cum autem scabies advenit, jam in Nosocomio moratur. Vires ope subcarb. ferr. augentur et conditio melior fit.

X.

A. Hulsebos, operarius vicesimum aetatis annum agens, quum jam diu in Hollandia septentrionali febre interm. laboravisset, quae pertinaciter omnibus remediis restitisset, hîc in polyclinicum venit. Color faciei cachecticus, lien turgidus, uti et hepar, oedema pedum, quod antea adfuit,

sua sponte evanuerat. Digestio normalis. Cum typus esset quartanus, et acger die 23 Februarii novum paroxysmum exspectaret, ei grana 12 sulph. chinini praescripsi (2 gr. pro dosi), quibus sumtis febris illo die siluit; etiam liber est die 26. Nunc autem iterum grana 12 sulphatis chinini commendabam, in sex doses partita, quorum diebus antea febrilibus tres sumeret. Diebus, qui inter dies febriles sunt, potionem c. extr. gentianae sumsit. Die 9 Martii huc rediit, dicens, die 4 et 7 Martii denuo febrem rediisse, et, quum die 10 novum paroxysmum exspectaret, gr. 12 sulph. chinini, una dosi sumenda, commendavi, qua sumpta, febris unum adhuc paroxysmum habuit. Die autem 16 Martii pulveres octo sulphatis chinini (2 gr. pro dosi) iteravi et eodem modo abhibui, ac antea, dum diebus, quibus chininum non sumeret, usus est potione c. extr. gentianae. Die 23 Martii pilulae de subcarb. ferr. cum parva chinini quantitate praescribuntur, et quamquam pristinas vires nondum recuperaverat, conditione emendata, nos reliquit operarius die 28 Martii.

XI.

Vidua Manks, 51 annorum, per aliquot dies febre interm. tertiana laboraverat, quum eam viserem, die 20

Februarii. Cum etiam symptomata gastrica adessent, decoct. tamarind. c. extr. graminis praescribatur. Hujus formulae usu gastricismus evanuit. Cum autem febris perstaret, die 22 Febr. gr. xi sulphatis chinini praescribuntur, quae die 23 una dosi sumsit aeger. Cum paroxysmi non redirent, ad tonum ventriculi restituendum potio adhibebatur cum extr. gentian. Cum conditio multo melior hujus medicaminis usu fieret, eadem formula iteratur die 28 Febr. et cum febris non rediret, sensim vires pristinas recuperavit.

XII.

II. Manks, 16 aetatis annum agens, per 8 dies febre intermittente tertiana laboraverat, cum eum viderem die 21 Februarii. Decoct. tamarindorum c. extr. graminis praescribitur, cum etiam symptomata gastrica adessent. Febris quoque paroxysmo duas horas anteposcente, die 23 quatuor pulveres sulph. chinini (3 gr. pro dosi) commendavi, quorum ante paroxysmum omni bihorio unum sumeret. Febre illo die recedente, mixturam c. extr. gentianae praescripsi, quae, cum hujus usu conditio melior fieret, die 28 Febr. iterabatur. Cum autem febris die 7 Martii redisset, at nunc typo quotidiano, iidem pulveres iterabantur die 11 Mart. Febris minus vehemens

illo die, quo pulveres sumserat, plane recessit sequentibus diebus.

Ne forte denuo paroxysmus rediret, pilulae c. subcarb. ferri et sulph. chinini praescribentur. Die 30 Martii nihilominus febre iterum corripiebatur, quae vero, extracto trifol. fibrin. adhibito, quotidie diminuebatur. Quod autem valde debilis erat, die 5 Aprilis pilulae c. subcarb. ferr. praescribuntur, quarum usu conditio paucis diebus multo melior fiebat, et die 12 Apr., pilulis iteratis, sanatum eum reliquimus.

XIII.

Charles Cator, faber carrucarius in Hollandia septentrionali, ibi per quosdam menses febre, nunc quotidianum, nunc tertianum et quartanum typum accipiente, laboraverat.

Die 22 Febr. hic in Nosocomium recipiebatur. Febris nunc typum quartanum tenet. Color faciei cachecticus, lien turgidus, extremitates inferiores tumefactae sunt. Stadium febrile, ut aeger dixit, per 9 horas duravit et illo tempore sensibilitas extremitatum inferiorum evanuit. Cum die 23 Febr. paroxysmum expectaret, quatuor pulveres sulphatis chinini (4 gr. pro dosi) praescripti, ante paroxysmum sumendos. Illo die febris rediit, die

26 autem recessit. Cum aeger maxime debilis esset, decoctum cort. peruv. fusc. exhibui, quo ad diem 14 Martii uteretur, ante quem novus paroxysmus non oriebatur. Vespere autem hujus diei paroxysmus rediit, etiam die 16 Mart. Die 18 iidem pulveres iterantur, et febris illo die recessit, rediit autem diebus 19, 21. Sequentibus diebus liber fuit, et tunc, postquam diebus 25 et 26 Martii grana 8 sulphatis chinini sumserat, iterum decoct. corticis exhibebatur. Cum vires redirent, initio Aprilis sanatus Nosocomium reliquit. Quatuordecim diebus autem praeteritis redibat, questus, se rursus febre quartana laborare. Ante paroxysmum sequentem formulam praescripsi.

S. Sulph. chinini gr. xij.

Extr. nuc. vom. gr. β.

» liquirit. q. s.

ut fiant pilulae n°. 12. d. s. o. h. 2 p.

Paroxysmo non redcunte, pilulae de extr. cort. peruv. fusc. et subcarb. ferr. exhibui, quarum usum aeger per aliquot hebdomades continuavit.

XIV.

Van der Horst, caementarius, die 23 Febr. in polyclinicum venit questus, se jam quatuor febris paroxysmis affectum fuisse. Cum esset typus tertianus, ei gr. 12 sulph.

chinini, una dosi sumenda, praescripsi, postquam antea alvum, quam trictam haberet, ope formulae sequentis

R. Elect. lenitiv.

Extr. gramin. aa unc. i.

m. f. Elcet. d. s. 2 h. c. p.

promoveram. Pulverem cepit hora vespertina diei 25 Febr., et sequente die febris recessit. Deinde mixturam c. extr. card. benedict. exhibui et, febre non redeunte, die 2 Martii pilulae de subcarb. ferr. c. parva quantitate sulph. chinini praescribuntur, quae iterantur die 9 Mart. Ad vires pristinas restitutum medio mense Martii dimisimus.

XV.

C. Spijker, faber materiarius 19 annorum, die 26 Febr. in polyclinicum chirurgicum venit, ulcere superficiali cruris dextri affectus. Eodem tempore querebatur, se jam per 4 hebdomades febre quartana laborasse et novum paroxysmum expectare die 27 Febr. Grana decem sulph. chinini exhibui, quae una dosi ante paroxysmum sumsit. Febris, quamquam vehementia multo minor fuit, non recessit. Die autem 2, ut et etiam die 5 Martii siluit. Ne forte denuo paroxysmus rediret, octo pulveres sulphatis chinini (2 gr. pro dosi) praescripsi, quorum diebus antea febrilibus 4 sumerentur. Febris non rediit.

XVI.

G. Schotel, famula 23 annorum, postquam in urbe Zaandam per aliquot hebdomades degerat, ibi febre intermittente corripiebatur. Ultrajectum reversa die 25 Febr. in polyclinicum venit. Color faciei cachecticus, pulsus debilis, lien turgidus, digestio normalis. Febris nunc tenet typum quotidianum, et, cum die 26 novum paroxysmum exspectaret, gr. xij sulphatis chinini una dosi adhibebantur.

Febris illo die recessit, rediit autem die 28, ut etiam diebus 2 et 4 Martii. Typo nunc tertiano facto, die 5 Martii grana 12 sulphatis chinini iterantur. Febris autem diebus 5 et 8 Martii rediit. Tunc majorem dosin exhibui (scilicet gr. 16), quae quatuor vicibus ante paroxysmum sumebantur, quibusque mihi tandem successit febrem superare. Continuavi parvis dosibus sulphatis chinini et subcarb. ferr. forma pilularum, quae semel iterabantur. Die 11 Aprilis nos reliquit, quamquam vires pristinas nondum recuperaverat; conditio autem multo melior erat, febrisque plane suppressa.

XVII.

C. Harderwijk 21 annorum, die 28 Febr. in polyclinicum venit, febre intermittente tertiana laborans.

Anno praeterito etiam interm. laboraverat et nunc, cum per aliquot menses liber fuisset, novum paroxysmum die 2 Martii exspectabat. Grana 12 sulph. chinini ante illum paroxysmum una dosi exhibui. Febris illo die et sequentibus siluit. Ad tonum ventriculi restituendum mixtura c. extr. gentianae praescribitur. Die 9 Martii pilulae de subcarb. ferr. et sulph. chinini parva dosi commendabantur. Febris non rediit, et acris fusorem, valetudine restituta, dimisimus.

XVIII.

P. Hazenbosch, duos annos natus, die 28 Febr. cum matre in polyclinicum venit. Jam antea febre interm. laboraverat, quae usu extr. trifolii fibrin. superata erat. Cum per aliquot tempus liber fuisset, nunc denuo febre tertiana correptus erat. Grana 8 sulph. chinini, 4 dosibus ante paroxysmum primi diei Martii sumendi, praescribebantur. Hisce pulveribus assumptis, aeger vomuit, et febris duas horas anteposuit. Post febris decursum, copia vermium magna per os et per anum evacuata erat. Diarrhoea orta, potio demulcens praescribitur. Febris usque ad diem 9 Martii recessit, tunc vero paroxysmus oriebatur, qui die 11 redibat. Iterum gr. 6 sulph. chinini, quatuor dosibus divisa, adhibentur, quibus sumptis

febris recessit. Sequentes pulveres, ut recidivae praeventantur, praescripsi:

R. Sulph. chinin. gr. xij

Subcarb. ferr. gr. xxiv

Sacch. alb. dr. ij

Pulv. Gm. arab. dr. β

m. f. pulveres no xxiv.

d.s. quater de die pulvis.

Die 28 Martii redit et a matre illum a febre liberum mansisse audiebam. Cum vero nunc symptomata helminthiasis redirent, pulveribus gr. xij santonini addidi; sulph. chinin. autem omisi. Semel adhuc pulveres iterantur; posthac autem non rediit.

XIX.

H. Vosmeer, rustici famulus, 16 annorum, die 2 Martii in polyclinicum venit questus, se die 25 Februarii febre correptum esse. Typus erat tertianus anteponens, et cum sequente die novum paroxysmum expectaret, pulveres de sulph. chinini (3 gr. pro dosi) praescripsi. Hisce pulveribus sumptis, febris non secuta est. Ad tonum ventriculi restituendum, die 4 Martii mixturam c. extr. gentianae praescripsi. Cum non redierit, eum febre liberum mansisse suppono.

XX.

G. meretrix, 25 annorum, die 2 Martii in polyclinicum venit. Febre interm. quotidiana laborabat, et cum eodem tempore de alvi segnitie queratur, elect. lenitiv. unc. i. praescribitur. Alvo bene soluta, 4 pulveres de sulphate chinini (3 gr. pro dosi) exhibui, quibus sumtis, febris non rediit.

Mixtura cum extr. gentian. praescribitur et aegra non redit ante diem 20 Martii. Queritur, febrem die 19 denuo incidisse. Cum symptomata gastrica adessent, decoct. tamarind. c. extr. graminis praescribitur. Febre autem persistente, quamquam gastricismus evanuerat, pulveres de sulph. chinini iterabantur. Die, quo pulveres sumserat, febris vehementia major fuerat, sequentibus autem diebus recessit. Cum obstipatio alvi denuo adesset, decoct. tamarind., cui dr. 3. fol. sennae infunduntur, praescribitur. Hae cura febris non amplius apparuit, omnia symptomata molesta disparuerunt, et aegra nos reliquit die 11 Aprilis. Ad recidivas praeventendas sequentem praescriptionem accepit:

R. Sulph. chinini gr. xij.

Extr. liquirit. scr. 1.

Ut fiant pilulae no. xij. d. s. quater de die 1.

XXI.

J. van der Horst, rusticus, 45 annorum, die 7 Martii hîc in polyclinicum venit, dicens, se per 10 hebdomades febre quartana laborasse. Cum novum paroxysmum die 10 expectaret, 16 gr. sulph. chinini, in 4 doses partita, praescripsi. Febris, pulveribus sumtis, rediit, die autem 13 plane recessit. Cum atonia ventriculi adesset, mixturam cum extr. gentian. exhibui.

Die 18. Martii pilulae de subcarb. ferr. c. parva quantitat. sulph. chinini commendantur, quibus usus aeger non rediit ante diem 15 Maji, quum denuo paroxysmus incidisset. Pulveres octo sulphatis chinini praescribuntur (2 gr. pro dosi), quorum 4 sumerentur diebus febrilibus. Cum febris non recederet, die 14 Maji gr. xij una dosi exhibui. Postea aeger non rediit.

XXII.

P. de Heus, famula 18 annorum, die 9 Martii in polyclinicum venit. Anno praeterito jam hîc adfuerat, ob febrem quartanam auxilium petens. Nunc autem querebatur, se febre quartana duplici laborare, et cum die 10 graviozem paroxysmum expectaret, 16 gr. sulph. chinini, in 4 doses partita, ante hunc paroxysmum sumsit. Febris

plane sublata est, et ne recidivae prodirent, die 18 Martii octo pulveres sulph. chinini (2 gr. pro dosi) praescribuntur, quorum 4 die 19, reliqui die 20, antea febrilibus illis, sumuntur. Febris non rediit; quia autem vires pristinas nondum recuperaverat, pilulae de subcarb. ferr. c. parva quantitate sulph. chinini praescribuntur.

XXIII.

E. M a n k s, vicesimum primum aetatis annum agens, febre tertiana cum gastricismo complicata laborabat.

Die 10 Martii mixtura resolvens praescribitur, qua sumta, symptomata gastrica diminuta erant, febris autem perstitit. Die 12 grana decem sulphatis chinini una dosi adhibentur, quibus sumtis, febris rediit. Die 14 siluit, et cum gastricismus non plane evanuisset, mixtura resolvens iteratur. Febris non rediit ante diem 25 Martii, quum denuo corripere febre intermittente, sed nunc typum quotidianum tenente. Die 30 Martii auxilium imploravit, et sequente die iterum gr. x una dosi exhibui. Cum febris recesserit, die 6 Aprilis et ad vires restituendas et ad recidivas praeventendas praescripsi:

R. Sulph. chinini gr. xx.

Subcarb. ferr.

Extr. liquirit. aa dr. i.

m. f. pilulae no. 60. d. s. ter de die IV.

Cum vires augerentur atque febris non rediret, puellam die 12 Aprilis reliquimus.

XXIV.

A. Moes, 40 annorum, quum jam per 6 menses febre quartana laboravisset, hinc in polyclinicum venit die 18 Martii. Faciei color flavus, lien turgidus; oedema pedum non adest. Cum die 21 Martii paroxysmum exspectaret, ei gr. xij sulphatis chinini praescripsi, una dosi sumenda. Die, quo illa sumserat, febris redierat; etiam diebus 24 et 27; paroxysmi autem multo leviores fuerant. Die 28 octo pulveres de sulph. chinini (2 gr. pro dosi) exhibui, quorum diebus antea febrilibus quatuor sumerentur. Die 4 Aprilis cum aeger dixit, se febre non plane liberum esse, partitis dosibus sulphatis chinini continuavi. Die 19 Aprilis rediens, nullum paroxysmum amplius habuit. Cum autem debilis esset, pilulae de subcarb. ferr. praescribuntur.

XXV.

G. Wensink, 39 annorum, die 23 Martii auxilium petiit, cum jam per tres hebdomades febre intermittente tertiana laboravisset. Quum eodem tempore alvus

stricta esset, elect. lenitiv. unc. 1 praescribitur et pulveres quatuor de sulph. chinini (3 gr. pro dosi), qui sumerentur ante paroxysmum. Febre non redeunte, symptomata gastrica persistebant. Primum mixtura resolvens, deinde decoct. tamarind., cui fol. senn. dr. iij infunduntur, commendantur. Die 1 Aprilis decoct. iteratur. Die 6 Aprilis redit, querens, febrem die 4 Aprilis rediisse, et nunc etiam stadium frigoris incepit. Quatuor pulveres sulphatis chinini iterantur; febris die, quo illos sumsit, rediit, die autem 10 recessit, sed ne recidivae prodirent, 12 pulveres de sulphate chinini (1 gr. pro dosi) praescripsi, quorum 6 diebus antea febrilibus sumerentur.

XXVI.

A. Renswoude, quatuor annos nata, per tres menses febre intermittente laboraverat. Quum diebus Martii 22 et 23 rursus febre corripere, pulveres 6 de sulphate chinini (1 gr. pro dosi) praescribuntur, quorum diebus 24 et 25 Martii tres sumerentur. Febre recedente, puellae debili pulveres praescribuntur duodecim cum granis 12 sulph. chinini et subcarb. ferr., quorum ter de die unum sumeret. Die 30 Martii pulveres iterantur. Febris plane recessit et conditio multo melior facta erat. Die 13

Aprilis, iisdem pulveribus praescriptis, puellam ad valetudinem restitutam reliquimus.

XXVII.

J. Manks, 12 annorum, antea semper valetudine bona fructa, medio mense Martii febre interm. corripiebatur. Die 23 Martii auxilium petiit. Typus erat quotidianus, et cum eodem tempore alvus clausa esset, elect. lenitiv. praescripsi unc i. Die 23 alvo copiose evacuata, sequente die tempore vespertino grana 12 sulph. chinini, in 4 doses divisa, sumuntur. Febre recedente, mixtura c. extr. trifol. fibrin. adhibetur, quae die 30 Martii iteratur. Die 5 Aprilis febris rediit et paroxysmus per 4 horas continuavit. Iteratur formula c. extr. trifolii fibrini. Impeditus, quominus illam viderem ante 13 diem Aprilis, audiebam, febrem ad diem 11 perstitisse typo tertiano, nunc autem typum quotidianum anteponentem tenere. Pulveres de sulphate chinini iterantur, quibus sumtis, febris illo die non secuta erat et sequentibus diebus etiam siluit. Ne autem recidivae prodirent, 12 pulveres de sulphate chinini (1 gr. pro dosi) praescripsi, quorum ter de die quatuor sumerentur.

XXVIII.

E. Agassie, quatuor annos natus, die 23 Martii in polyclinicum venit, febre intermittente quotidiana laborans. Primum febris typum tertianum assumserat, nunc vero quotidie paroxysmus oriebatur. Pulveres sex de sulphate chinini commendantur (1 gr. pro dosi). Die 25 rediens mater narrat, febrem pridie recessisse. Quia nunc catarrhus bronchorum levior aderat, pulveres emollientes praescribebantur, qui die 30, febre non redeunte, iterabantur.

XXIX.

J. van Beek 33 annorum die 1 Aprilis in polyclinicum venit. Ante quatuor dies febre tertiana corripiebatur, et cum eodem tempore de alvi segnitie quereretur, elect. lenitiv. unc. β praescripsi. Alvo copiose evacuata, die 3 Aprilis grana 10 sulph. chinini una dosi sumsit. Febris illo die, quo pulverem sumserat, 5 horas postposuerat, sequentibus autem diebus plane recessit. Quum alvus iterum tarda esset, decoct. tamarind., cui dr. 3 fol. sennae infunduntur, praescripsi, quae formula die 8 iteratur. Die 15, ne forte recidivae orientur, gr. xv sulphatis chinini, in 15 doses divisa, quarum ter de die unam sumeret, praescribebantur.

XXX.

N. Kremer, sex annos nata, die 1 Aprilis in polyclinicum venit. Octo dies febre intermittente quotidiana jam laboraverat. Quatuor pulveres de sulphate chinini praescribuntur ($1\frac{1}{2}$ gr. pro dosi). Pulveribus assumptis, febris illo die redierat, etiam sequente die. Iterum grana sex, in sex pulveres divisa, exhibui, quorum diebus 5 et 6 Aprilis tres sumerentur ante paroxysmum. Febre non redeunte, die 7 pulveres 12 cum granis sex sulphatis chinini et 12 granis subcarb. ferri praescribuntur, quorum ter de die unum sumsit.

XXXI.

B. Meyer 45 annorum ante quatuordecim dies febre intermittente tertiana correpta, die 2 Aprilis huc in polyclinicum venit. Querebatur de dolore in hypochondrio sinistro et percussione lien turgidus esse reperiebatur. Grana sedecim sulphatis chinini quatuor dosibus administravi. Aegra autem non reversa, de eventu nihil commemorare possum.

XXXII.

H. Francken, pictor 41 annorum, die 29 Martii febre corripiebatur, quae die 31 rediit. Diebus 2 et 4 etiam

paroxysmus oriebatur, qui duas horas anteposuit. Quum die 6 novum paroxysmum exspectaret, gr. x sulphatis chinini, quae vespere diei 5 Aprilis sumeret, praescripsi. Pulvere sumpto, febris redierat. Cum symptomata gastrica orta essent, decoct. tamarind. c. extr. gram. praescripsi, quod die 12 Aprilis iterabatur. Gastricismus recessit et febre non redeunte, diebus antea febrilibus tres sulphatis chinini pulveres (2 gr. pro dosi) sumebantur.

XXXIII.

D. Beuker, monetarius, 54 annorum, in Hollandia septentrionali 3 menses febre intermittente quartana laboraverat. Die 4 Aprilis in polyclinicum veniens dixit, se denuo febre correptum fuisse. Cum eodem tempore obstructio alvi adesset, electuarii lenitiv. unc. β praescribebatur. Die 7 alvo largiter evacuata, una dosis sulphatis chinini (gr. x) administratur. Pulvere sumpto, febris majori impetu rediit. Sequens paroxysmus non exsurgit; ne autem recidivae prodirent, diebus antea febrilibus parva dosi sulphatis chinini (4 gr.) usus est.

XXXIV.

B. van Zeyl, septem annos nata, die 11 Aprilis in polyclinicum recepta est, laborans abhinc 8 dies febre

interm. tertiana. Cum eodem tempore de primarum viarum irritatione quereretur, potio demulcens adhibebatur. Die 12 April rediit, et cum irritatio evanisset, 8 pulveres de sulph. chinini (1 gr. pro dosi) praescripsi, qui ante paroxysmum sumerentur. Febris non rediit et puellae valde debili 12 pulveres c. duodecim granis sulphatis chinini et subcarb. ferr. praescribebantur, quorum quater de die unum sumsit.

XXXV.

J. van der Sluis, pictor viginti annos natus, jam per quatuor hebdomades febre interm. quotidiana laboraverat, quum huc die 11 Aprilis in polyclinicum veniret. Pulveres tres de sulphate chinini administrantur (2 gr. pro dosi) ante paroxysmum. Febris, pulveribus sumtis, plane recessit, et ne recidiva prodiret, diebus antea febrilibus parvis dosibus sulph. chinini usus est.

XXXVI.

B. Roelofs 32 annorum febre interm. tertiana laborabat. Die 11 Aprilis pulveres sex sulph. chinini praescribuntur (1 gr. pro dosi), ante paroxysmum sumendi. Febris, pulveribus sumptis, non rediit. Pulveres duodecim

sulphatis chinini exhibentur (1 gr. pro dosi), quorum diebus 13 et 15 sex sumerentur. Febris plane recessit, et aegrum ad pristinam valetudinem restitutum dimisimus.

XXXVII.

Vidua v. Buren, 60 annorum, die 23 mensis Aprilis tempore matutino febre corripiebatur. Die 25 paroxysmus denuo rediit hora matutina nona. Die 26 praescribuntur pulveres sex de sulphate chinini, ante paroxysmum sumendi (1 gr. pro dosi). Die 28 iidem pulveres iterantur, quibus sumptis febris plane recessit, et nulla recidiva exorta est.

XXXVIII.

S. Jacobs, 40 annorum, medio mense Maji febre interm. tertian. afficiebatur. Cum die 24 novum paroxysmum exspectaret, sequentem formulam praescripsi:

R. Sulph. chinini gr. viij

Acid. sulph. dil. gtt. viij

Aq. depurat. unc. ij

m. d. s. ohc. ante paroxysmum sumendi.

Febris, mixtura sumta, non rediit, et ad valetudinem restituta nos die 28 Maji reliquit.

XXXIX.

A. Schoonheid, 18 menses natus, medio mense Maji in polyclinicum cum matre venit, quae narravit, illum febre intermittente tertiana correptum esse. Ante sequentem paroxysmum 4 grana sulphatis chinini, in 6 pulveres divisa, praescribuntur. Pulveribus sumtis, febris plane recessit, et ne recidivae prodirent viresque auferentur, sequentem formulam accepit:

R. Sulph. chinini gr. xij
 Subcarb. ferri gr. xxiv
 Sacch. alb. dr- ij
 m. f. pulveres no xij
 d. s. bis de die pulvis.

XL.

D. Smit 28 annorum die 28 Martii in polyclinicum venit. Postquam per aliquot tempus febre, qua anno praeterito laboraverat, libera fuerat, die 25 Martii denuo febre correpta fuit. Febrem die, quo huc venit, exspectanti, gr. x sulph. chinini una dosi statim exhibui. Febris majore vehementia rediit; secuturus autem paroxysmus recessit. Praescribitur mixtura cum extr. gentianae, quae ter iteratur, cum conditio aegrae hujus medicaminis usu

melior fieret. Die 21 Aprilis denuo auxilium implo-
 ravit, cum die 20 novus paroxysmus exortus esset.
 Stricta alvo, de qua eodem tempore aegra quæsta erat,
 elect. lenitiv. præscribitur, et die 26 hac complicatione
 superata, gr. 12 sulph. chinini administrantur. Febris
 nihilominus rediit, etiam die 29 Aprilis et 1 Maji.
 Cum autem die 1 Maji paroxysmum modo exiguum
 perciperet et die 3 libera maneret, mixtura c. extr.
 gentianæ iterabatur. Aegra postea non rediit.

Cum observationes febris intermittens larvatae jam
 priore parte commemoraverim, ubi de cura harum febrium
 egi et casus febrium perniciosarum hæc se non obtulerint,
 finem huic specimini imponam: conclusiones enim de
 modo, quo sulphas chinini aliaque medicamina in cura
 febrium intermittens adhibeantur, de quantitate in
 typis diversis et de modo, quo recidivæ certissime præ-
 caveantur, jam commemoratae sunt.

TANTUM.

THESES.

I.

Recte Celsus statuit, » Medicinam debere ab evidentibus instrui causis, obscuris omnibus, non a cogitatione artificis, sed ab arte rejectis.»

II.

Graviditate exorta, menstruatio non subsistit.

III.

Accommodatio non nititur diametri pupillaris mutatione.

IV.

Recte Stoll: »fortunate,» inquit, »medebitur, qui remedii exhibendi occasiones sagax captat, quive repertae indicationi potius, quam specificae remediorum virtuti confidit.»

V.

Nec magnitudo neque densitas crustae ita dictae phlogisticae ullam indicationem praebet ad venaesectio-
nem iterandam.

VI.

Cordis soni, quum loco a corde remoto audiuntur, aliorum tantum symptomatum ratione habita, diagnosticum tuberculosis pulmonum signum haberi possunt.

VII.

Ex albuminuria et hydrope conjunctis morbum organicum renum adesse confici nequit.

VIII.

Recte Voltelen: »Quodsi modum agendi medicamentorum sive causas et rationem actionis eorum quae-

ramus, hae profecto obscurae adeo sunt, ut de paucis aliquid, de plerisque nihil certi, ne probabilis quidem, determinari possit.

IX.

Medicus venenis non utitur.

X.

Chloroformylum, ut anaestheticum, aetheri sulphurico praeferendum.

XI.

Febris intermittens, nisi perniciosa, non statim tollenda.

XII.

Minus recte dicit Nepple, quum de februm intermittentium cura agit: » Le remède de Fowler, l'arseniate de soude doit être proscrit à jamais. »

XIII.

Lac optimum nutrimentum in primis typhi stadiis.

XIV.

Experimentum Purkinianum magni momenti est in cataractae prognosi.

XV.

Cura varicoceles per ligaturam subcutaneam aliis methodis est praeferenda.

XVI.

Dissectio per segmenta in extremitatum amputationibus circulari praeferenda.

XVII.

Aneurysmatum curatio punctione ac subsequente injectione tincturae chloridi ferri rejicienda.

XVIII.

Fistulae ani in iis, quorum pulmones laborant, curandae, non sanandae.

XIX.

Recte Teichmeyer. »In renunciatione non adeo attendendum, an vulnus hujus, vel illius organi in genere ab auctoribus lethale dicatur; sed potius examinandum, an hoc praesens et individuale vulnus, de quo quaestio est, et de quo iudicium ferre debet medicus, sit lethale, an non.

XX.

Merito Jørg: Si obliquam infantis positionem nulla alia comitatur irregularitas, obstetricator, si foetum versum etiam extrahit, facultatem transgreditur.

THE HISTORY OF THE

ROYAL SOCIETY OF LONDON

AND THE PROGRESS OF
SCIENCE IN GREAT BRITAIN
FROM THE FOUNDATION OF THE SOCIETY
TO THE PRESENT TIME

BY
JAMES HUTTON

IN TWO VOLUMES.
THE FIRST VOLUME.

LONDON:
PRINTED BY RICHARD CLAY AND COMPANY,
BUNGAY, SUFFOLK.
1910.

THE HISTORY OF THE
ROYAL SOCIETY OF LONDON
AND THE PROGRESS OF
SCIENCE IN GREAT BRITAIN
FROM THE FOUNDATION OF THE SOCIETY
TO THE PRESENT TIME